

HEINRICVS VVELPIVS ROSTOCHIANVS PROFESSOR.



HEinricus Lingensis honestis parētibus natus & in omni genere literarum optimè institutus fuit. Cū is adoleuisset, sese ad uarias Germaniæ academias, & præsertim Rostochium contulit, & Philosophiæ magna diligentia incubuit. In primis uero Mathematicis disciplinis operā dedit, & earū magnum sibi usum comparauit. Itaq; factum ut in academia Rostochiana publicus artium professor constitueretur. In ea uocatione Heinricus diligenter fuit, atq; ob præclaram eruditionem atq; uarias animi uirtutes omnib. doctis innotuit. Scripsit is libellum de cōmunib; & usitatis Arithmeticae Practicæ regulis, atq; Coloniæ 1544 edidit. Par ratione librum de minutis Physicis, & Practicis Astronomicis Arithmetice regulis composuit, & publicauit. Cum hoc modo pergeret, atq; suam professionem exornaret, cunctis gratissimus fuit, & multorum gratiam sibi conciliauit. Con. Gesl. in Bib.